

No. 2. 967. 20. Apr.

P. Johann XIII. erhebt nach dem Beschlusse des Concils von Ravenna die Kirche zu Magdeburg zur Metropolitankirche für die Bisthümer Brandenburg und Havelberg und genehmigt, dass der Erzbischof mit der Zunahme der Ausbreitung des Christenthums für geeignete Orte, zunächst für Merseburg, Zeitz und Meissen Bischöfe weihe.

Johannes servus servorum dei, episcopus¹⁾ urbis Romae, archiepiscopis episcopis et cunctis timentibus deum omniq[ue] coetui christianorum notum esse volumus, qualiter inspirante sancto spiritu, meritisq[ue] apostolorum principis Petri, et vase electionis sanctissimi Pauli ac millia millium martyrum Christi, Roma caput totius mundi et ecclesia universalis ab iniquis pene pessumdata, a domno Ottone augusto inperatore, a deo coronato Caesare magno et ter benedicto, anno apostolicatus nostri secundo ipsiusq[ue] praenominati nostri spiritualis filii sanctissimi imperii sexto erepta est et in pristinum honorem omni reverentia redacta. Ipso namq[ue] anno una nobiscum favente et consentiente invictissimo praedicto inperatore, acta est magna synodus Ravennae duodecima Kalendas Maii, convenientibus archiepiscopis et episcopis circumquaque ex omni Italia, residentibus nobis in ecclesia beati Severi confessoris Christi, et ibi statutis omnibus rebus ecclesiasticis secundum statuta canonum et decreta antecessorum nostrorum, idem sanctissimus inperator ardentissimo coepit amore perquirere, quomodo nostra apostolica auctoritate a primordio nomen christianitatis in aquilonaribus partibus dilataretur. Nos vero ejus animum in dei servitio ita mirifice detentum mirantes connivere ei dignum duximus, stantes praesente et consentiente sancta synodo et ipso inperatore, ut Magdaburch sita iuxta Albiam fluvium, ubi ipse a deo benedictus inperator corpus sancti Mauricii cum multis martyribus collocaverat et mirae magnitudinis ecclesiam construxerat, deinceps metropolis sit et nominetur auctoritate beati Petri apostolorum principis et ea, qua praedecessores nostri Constantinopolim statuerunt. Ideo quia filius noster saepe iam nominatus Otto omnium augustorum augustissimus inperator tertius post Constantinum maxime Romanam ecclesiam exaltavit, concessimus, ut non posterior sit ceteris urbibus metropolitanis, sed cum primis prima, et cum antiquis antiqua inconvulsa permaneat²⁾. Suffraganeos vero eidem metropoli omnes unanimiter praeordinavimus Brandenburgensem episcopum et Havelbergensem, his cunctis, quibuscunq[ue] inperator voluerit, in urbe Magdaburch archiepiscopus consecratur. Postea vero idem archiepiscopus et successores eius habeant potestatem per congrua loca, ubi per illorum praedicationem christianitas creverit, episcopos ordinare, nominative nunc et praesentaliter Merseburg, Cici et Misni, a praesenti decima indictione perpetualiter confirmamus permanendum, stantes apostolica censura sub divini iudicii obtestatione et anathematis interdictionibus, nulli licere nostrorum successorum atq[ue] pontificum vel alii cuilibet personae haec quae a nobis pia intentione statuta sunt in quoquam convellere, sed potius firma stabilitate inconvulsa manere diffinimus. Si quis autem, quod non³⁾ cre-

1) Richtiger vielleicht *episcopus*. Die Bulle wegen dieser Eingangsworte für unächt zu erklären (v. Leutsch *Markgr. Gero* S. 126) lässt obensowenig sich rechtfertigen, wie deren Versetzung in's J. 970 (v. Raumer *Regesta* I. S. 52). 2) *permaneant* *Lib. priv.* 3) *non* fehlt im *Lib. priv.*